UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.D. Iacobi Marchantii Vitis Florigera

Marchantius, Jacobus

Coloniae Agrippinae, 1661

13. Nos culpis solutos &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-56381

Visual Library

Et ne quis abſterreatur, adiungit: *Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum.* Ipſa ergo eſt Apis ſine oculo, melle plena ſuaviſſimo, quod quidẽ offert ad guſtandũ omni accedenti ad ſe, cum quo & illuminantur oculi, quaſi melle Ionathæ & fortificatur mens & animus, quaſi melle Sampſonis, de quo dixit: *E forti egreſſa eſt dulcedo.*

I. Reg. 14
Iudic. 14

LECTIO XIII.

Thema. *Nos culpis ſolutos, mites fac & caſtos.*

Merito manſuetudinem & caſtitatem à B. M. V. poſtulãdam docet

QVia parum eſt, Virginis laudes & virtutes decantare, niſi & eas imitemur, ideo eam rogamus, ut ſua interceſſione nos faciat ſuæ conſortes caſtitatis & manſuetudinis, impetrata remiſſione peccatorum. Atque ſub his virtutibus multæ aliæ continentur eis affines & annexæ: mititati enim humilitas eſt confœderata, modeſtia, benignitas, miſericordia, patientia, charitas; Caſtitati coniuncta eſt ſobrietas, temperantia, mortificatio, pœnitentia, pietas. Has ergo omnes virtutes etiam hic implicitè petimus, per merita Virginis caſtiſſimæ & benigniſſimæ. Specialiter tamen & explicite fit mentio manſuetudinis & caſtitatis, quia hæ virtutes opponuntur duobus vitijs Iræ & Luxuriæ, quibus maxima pars hominum abripitur, quibusque multi pereunt. Vnde illæ virtutes magnopere ſunt neceſſariæ, & valde in Scriptura ſacra commendatæ, ſicut & vitia ei adverſa deteſtantur frequenter ſanctæ Litteræ. Ira namque cum ſibi adjunctis filiabus, Porta eſt latiſſima inferorũ, ſicut & Luxuria cum ſuis. De quibus cum fuſe tractaverim in Tuba Sacerdotali, hic non repeto, ſed illuc Lectorem remitto, qui, quæ ſibi opportuna viſa fuerint, poterit hoc loco reponere.

Matth. 5
Pſal. 141

Iram porro moderatur manſuetudo, & vitia ex illa ortum ducentia compeſcit, ac in ſua radice ſuccidit. Hinc dicuntur *Beati mites quia poſſidebũt terram* illam ſcilicet terram, de qua ſcriptum eſt: *Tu es ſpes mea portio mea in terra viventium,* Hi ſũt mites, qui dominantur paſſionibus animi & perturbationibus inde oriundis, qui cedunt improbitatibus, & vincunt in bono malum. Manſuetus & mitis, inquit S. Chryſoſtomus, ille eſt, qui, cum provocatus fuerit, nec malum cogitat facere, nec facit. Magna planè virtus, ſi non lædas, à quo læſus es: magna fortitudo, ſi etiam læſus dimittas: magna gloria, ſi, cui potuiſti nocere, parcas. Sic vincis in bono malum. Verè ergo manſuetus aliorum iniquitates in ſui læſionem redundantes tolerat, & prunas ardentes charitatis congerit ſuper capita eorum, quibus ſuccendantur in cordibus, & temperent à malis. Verè mitis non eſt turbulentus, nec litigioſus, aut contentioſus, aut iracundus; neminem lædit, lædentem non repercutit, ſed potiús exaſperantem mollit, & in ſpiritus ſuavitate ad cor reducit.

Manſuetus & mitis, quis dicatur?

Merito ergo poſtulamus à Virgine Maria, quæ inter õnes mitis audit, vt nos ſuis precibus & meritis mites afficiat, & manſuetudinem veram impetret. Eſt enim mititas fructus Spiritus Sancti, fructus eximiæ charitatis. Eſt quoque beatitudo, ob altiſſimam perfectionem; & hanc ideo tanquã ſecundum Beatitudinis gradũ in ſcala perfectionis ponit Chriſtus. Eſt deniq; virtus laude digniſſima conſervans animam, de qua Eccleſiaſticus: *Fili in manſuetudine conſerua animam tuam.* Eſt ianua, per quam variæ virtutes ingrediuntur in animam, atque ex illa oritur pax & tuta animæ ſerenitas, ita vt mitis animus ſit quaſi ſpeculũ, in quo refulget imago Dei, & ſuperior ſerenitas cœli, quæ intacta manet à nebulis, nubibus, turbinibus fulminibus in aere inferiori excitatis. Animus enim mitis quaſi cœleſtem ſtatum aſſecutus, iacturam tranquillitatis non patitur, propter rerum humanarum perturbationes & agitationes

Mititas eſt fructus Spiritus Sãcti.
Eccl. 10.

Adde quod manſuetudo, dum tollit cordis duritiem, reddit illud aptum divinæ inſpirationi & doctrinæ: *Docebit mites vias ſuas.* Tales enim, dum nihil aſperitatis in corde alunt, non reſiſtunt Deo inſpiranti, docenti, ducenti & dirigenti, patientes ſunt, & docibiles. Et ob hoc igitur Beati dicũtur. Certe hi ſunt imitatores Salvatoris & Matris eius, ita vt dicat S. Bernardus. *Qui mitis eſt & humilis corde, quomodo damnabitur? Abſit, vt inveniatur expers ſalutis, qui imitator eſt Salvatoris*

Manſuetudo reddit cor aptum divinæ inſpirationi. Pſal. 24.
Serm. 29. in Cant.

Impetra igitur nobis, ô Maria, vt ſimus ſine felle, ſine veneno, ſine aculeo, vere mites, non contentioſi, non rixoſi, non linguoſi, non vindictæ avidi, non maledici; ſed pacifici & tranquilli, non reddentes malum pro malo, ſed bonum pro malo, ſicque ſimus filij Columbæ, & filij tui imitatione felici. Impetra quoque, vt divinis non ſimus rebelles inſpirationibus aut doctrinæ: ſed *in manſuetudine ſuſcipientes inſitum nobis verbum* internum & externum, imo & æternum; vt dirigamur ab eo in viam pacis, in viam veritatis, in viam æternitatis.

Iac. I.

Caſtitas carnis paſſiones moderatur.

Vlterius, Caſtitas moderatur carnis paſſiones, Et hæc planè neceſſaria eſt in omni ſtatu. Nec enim eſt ſolum caſtitas virginibus neceſſaria, aut viduis: ſed etiam coniugalis caſtitas requiritur, quæ non excedat limites coniugales, & coniugales affectus. Quia autem illa nonnulli carent, exũdant in paſſiones brutales cum proprijs coniugibus, non ſine gravi peccato: aut etiam, quaſi Equi emiſſarij, in alienas hinniunt vxores, & per verba, vel nutus, vel contactus illicitos explorant earum voluntatem, quaſi ludentes, interim peſſima voluntate ſuo & alieno thoro illudentes. O MARIA, quæ & Virgo & Coniux fuiſti, impetra his Coniugibus caſtimoniam coniugalem & domeſticam pacem *Mites fac & caſtos.*

Tantum autem poteſt Virgo hæc ſingularis, vt etiam ad imitationẽ ſui nonnullis impetrarit poſt pactionem & fidem coniugalem caſtitatem & cõtinentiam perfectam, à thoro & contactu immunem. Notum eſt de Iuliano & Baſiliſſa, de Elzeario

 Comi-

Comite & Delphina, ac multis alijs, de quibus vi de Candelab. Myſt. de Matrim. O quam admabilis Virgini caſtitas in omni ſtatu! O quam admirabilis nonnullorum caſtitas, per Mariæ auxilium, etiam in ſtatu coniugali, in quibus renovatum eſt miraculum Rubi in igne illæſi.

Caſtitas tuta non eſt, niſi ſubſidio B. M. V.
Pſal. 90.

Sed de caſtitate communi agamus, & dicamus hanc non eſſe tutam niſi ſubſidio Virginis; ideoq; pro eius tutela & ſecuritate, ad ipſam recurrere ſoliti ſunt, quicumq; periculum evadere optarunt, *à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano.*

S. Vincent. Ferrer. Ord. S. Dominici, graviſſimis ſæpe agitatus tentationibus, ad ſinũ Mariæ occurrebat. Cum die quadam legeret librum S. Hieronymi de Virginitate, & inter ſuavitatem lectionis Mariam obſecraret, ut virginitatis ſibi Tutrix foret, audiuit vocem: Non omnes poſſumus eſſe Virgines. Attonitus volvebat intra ſe, quid ſibi vox illa vellet, ſciens nõ poſſe ab illa prodire, quæ virginitatis cultores ſemper amavit & adiuvit. Obnixe ergo genuflexus precatur Virginẽ, ut indicet quid ſibi vox illa voluerit. Paulo poſt ei ipſa apparet, multa luce & lætitia ipſũ circũfundens, dixit q; vocem fuiſſe Satanæ, eum ab incepto deterrere volentis. Addidit quoq; Tu cautus eſto, & animo conſtante, crebras tibi parabit inſidias, ut tua periclitetur virginitas: ſed ſpera in Domino ſemper. qui clypeus tuus erit, quo eius iacula poteris ſuperare. His dictis deſparuit, & extũc tantus fervor novo Chriſti militi acceſſit, ut non terreſtris homo ſed cœleſtis Angelus eſſe videretur. Ita habet vita eius Sur. 5. April.

Gen. 3.

Habet hanc cœleſtem virtutem Beatiſſima Mater, qua nos contra inſidias ſerpẽtis protegat, iam ab initio promiſſam illis verbis: *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo illius. Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius.* Semen Virginis non ſolum eſt Chriſtus, ſed etiã omnes ſpirituales eius filij, fratres Chriſti. Hi contra ſerpentem & eius malignas ſuggeſtiones, quæ ſemen eius venenatum ſunt, virtute Matris huius pugnant, & cum ipſa ſerpentis caput conterunt.

Iudic. 9.

Abimelec olim, cum mulier è turri eius caput obtriviſſet, partem lapidis molaris in eum intorquens, inſaniebat & clamabat ad armigerum ſuum: *Interfice me, dicaturquod à fœmina victus ſim.* Similiter id non poteſt ferre Dœmon. Quare Eremi Patres olim ſolis vel hiſce verbis Dæmonis tentationes, elidebant, & fugabant à ſe: *Diſcede infelix, inanes ſunt vires tuæ qui à muliere victus es.* Hæ exprobratoria verba ob ſuperbiam non ſuſtinens cogebatur abſcedere.

Ad Mariam confugiendum.

Merito ergo ad hanc Virginem ſingularem, ſingulariter contra æſtus concupiſcentiæ, & aſtus Satanæ confugium habentes, dicimus ei: *Nos culpis ſolutos, mites fac & caſtos.* Debemus autem eam deprecari pro perfecta caſtitate, tam mentis & cordis, quam membrorum & corporis. Ad eam, inquam, undique perfectam caſtimoniam nobis adſpirandum eſt & contendendum, quia hæc Mariana eſt. Sunt nonnulli, qui, etſi videantur corpore caſti, non ſunt tamen mente & corde incorrupti. Sunt qui nec oculis, nec lingua, nec auribus caſti ſunt. Oculos non avertunt, ne videant vanitatem; nec cum illis pangunt fœdus, vt ne delectentur quidem forma & ſpecie Virginis. Oblectantur libris amatorijs legẽdis, lubricis verbis vel cantionibus linguam & aures inceſtant, & hilaritatem ac facetias vocant. Ab his nos abſterrens Salvianus, & alludens ad illud: *Stultus per riſum operatur ſcelus,* ſic ait l. 6. de gubern. *Dum inter turpia ac decoroſa ridemus, ſcelera committimus, & quidem ſcelera non minima, ſed ab hoc ipſo pœnaliora, quia cum videantur ſpecie parua, rebus ſunt exitioſis peſtilẽtiſſima.* Propterea etiam ſcribit Sidonius Apollinaris cuidam nobili & aulico. *Vnice probo, gaudeo, admiror, quod caſtitatis affectu contubernia fugis impudicorum, præſertim quibus nihil penſi, nihil ſancti eſt in appetendis & garriendis turpitudinibus: quique quod verbis inuerecundis aurium publicarum reverentiam inceſtant, granditer ſibi videntur facetiari.* Hæc ille eleganter, & prudenter.

tam aſpirandum.
Pſal. 118.
Iob. 31.
Lib. 3. ep. 13.

Impuritas etiam minima quantum B. M. V. diſplicet.

Quantum vero Virgini puriſſimæ Mariæ diſpliceat vel minima impuritas, docere poteſt quod in vita S. Dominici l. 2. c. 13. legimus. *Cum Romæ in Eccleſia Fratrum pro more pernoctaret in oratione, mediaq; nocte ingreſſus Dormitorium ibidem preces offerret, vidit tres miræ pulchritudinis Virgines, unam quaſi Reginam, cuius alteræ duæ latus claudebant: quarum una ferebat ſitulam, altera aſpergillũ porrigebat, Reginæ in medio gradienti. Tranſiens hæc Regina cum Virginibus per Dormitoriũ, ſingulos Fratres quieſcentes aſpergebat, crucis ſigno ſignabat. Vnicum præterijt oculos avertens, ſine benedictione. Hæc notans S. Dominicus, obviat Reginæ ad lampadem Dormitorii, & proſtratus ad pedes ait. Obſecro, indica ſeruo tuo, quænam ſis. Cui illa: Ego ſũ Mater miſericordiæ, quã quotidie veſperi piis mentibus inuocatis. Cumq; dicitis: Eia ergo Advocata noſtra, proſterno me coram Filio, orans pro Ordinis huius conſervatione. Interroganti rurſus, quænam illæ ſint comites? Reſpondet Maria Catharinam & Cæciliam. Cõcepta exinde fiducia quærit cur Fratrem unum ſine benedictione præterierit? Reſpondet, quia non ſe gereret ut decebat. Diſparente Virgine, Vir Dei ſecum hæc ruminabat. Sequenti luce Fratres convocans ad Capitulum ferventi ſermone monet ut Matrem Dei adament, cuius erat mirificis cõſolationibus recreatus. Poſtea Fratrem illũ blande alloquens, reperit à culpa alienum; fatebatur tamen, ſe, cum evigilaſſet, nudato fuiſſe corpore. Sic voluit monere Virgo, quanto ſtudio pudicitia colenda ſit, quæ & piiſſimos oculos avertit ab eo, qui indecore iacebat.*

Rogamus ergo te toto corde, o Maria, ô Virgo ſingularis, quæ Mariam Ægyptiacam, & innumeros alios è ſordibus & cœno luxuriæ eduxiſti, aut ne inciderent, protexiſti, effice, vt caſti ſimus mente, caſti corde, caſti corpore, caſti lingua & ore

caſti

caſti auribus, caſti manibus, omnibus denique caſti membris: quia ſcimus te caſtimoniam adamare in filijs tuis, & in membris myſticis Filij tui, qui eximiam caſtitatem in tuo dedicavit corpore & mente, quam vult nos proſequi ſacro honore, & ſincera imitatione. Eſto igitur nobis exemplar, idea, & ſpeculum, non ſolum nobis propoſitum exterius ad imitandum: ſed etiam meritis & precibus influens interius ad perficiendum quæcumq; ad hanc imitandam caſtitatem neceſſaria ſunt, vt Agnum & Matrem Agni ſecuti, tandem valeamus cantare canticum novum & æternum.

LECTIO XIV.

Thema. *Vitam præſta puram.*

Quanto per B. M. V. puritatem vita amet, & quam diligenter illi ſtudendũ. Prov. 8.

NOn ſufficit nos caſtos eſſe & mites, ſi alijs vitijs ſimus implicati & contaminati; per quodlibet enim vitium Filio Virginis & virgini odibiles reddimur. Quapropter ipſe Filius Sapientia Patris, immo & Maria Sapientiæ Mater introducitur loquens, & dicens: *Superbiam, & arrogantiam, & os bilingue, & viam prauam ego deteſtor.* Errant ergo, qui Sanctiſſimæ Virgini per preces aliquas quotidianas ſe putant placere, & vitia ei diſplicentia non conantur corrigere & extirpare. Non poſſunt ei grati eſſe, quæ humilitatem ſemper eſt profeſſa, qui ſuperbiam & arrogantiam nõ corrigunt, & characterem Satanæ hoſtis Mariæ è corde ſuo non eradunt. Non poſſunt ei placere, qui odia, diſſenſiones, detractiones ſeminant; quia Virgo pacis amatrix eſt, & os bilingue deteſtatur. Quid eſt os bilingue niſi os illius qui aliter coram homine, aliter in eius abſentia loquitur? An nõ ſic detractores, an non ſic adulatores ſe gerũt? An non multi ore ſimulant amicitiam, corde tegunt inimicitiam? Quid iterum eſt os bilingue, niſi os perverſum, & perverſa loquens, os mendax & fraudulentum.

B. M. V. Humilis odit ſuperbiam. Serm. 35. de Sanctis

Maria itaque odit ſuperbiam, quia, ipſa electa eſt propter humilitatem, ſicut & Eva eiecta eſt ob ſuperbiam: id quod ſuperbia perdidit, humilitas in illa recuperavit. O *vere beata humilitas*, inquit S. Auguſtinus, *quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, Cœlum innovauit, mundum purificauit, Paradiſum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit! O, inquam, vere glorioſa Mariæ humilitas, quæ porta Paradiſi efficitur, Scala Cœli conſtituitur! Facta eſt certe humilitas Mariæ Scala cœleſtis per quam deſcendit Deus ad terras: Quia reſpexit humilitatem ancillæ, ecce eam beatam dicunt omnes generationes.* An non ergo merito odit arrogantiam & ſuperbiam?

Deteſtatur bilingue.

Odit quoque & deteſtatur os bilingue, quia tale os aſſumpſit ſerpens, ſive Satan in ſerpente, vt deciperet Evam & Adam primos parentes, & induceret cum poſteris ſuis in ruinam. Aſſumpſit enim os perverſum & fraudulentũ, mendax & detractorium, ſimulans amicitiam, & ſpargens venenum, ſeminansque diſcordiam inter Deum & hominem. Serpentes; dicuntur habere linguam triſulcam, vel biſulcam; talem elegit Satan, vno ſibilo venenato Evæ cor & corpus inficiens, & interficiens animam. Imitatores, eius ſunt bilingues & detractores, corda inficientes, & interficientes, peſſima ſua & venenata loquela. An non ergo merito Maria, Evæ contraria, os bilingue ſe deteſtans profitetur?

Prov. 8. Et omnem viam pravam.

Vlterius, cum ſit Mater non ſolum pulchræ dilectionis, ſed & Timoris ſancti, *Timor autem Domini odit malum*, ideo dicit ſe quoq; deteſtari omnem viam pravam, hoc eſt, omnem pravitatem, quæ reperitur in via, ſeu actione, & converſatione noſtra, omneque in nobis peccatum, maxime peccatũ pravæ conſuetudinis: Eſt enim conſuetudo prava quaſi via diſtorta & immunda, quam odit, quia illum genuit, qui eſt *Veritas Via & Vita*. Qui itaque peccata peccatis accumulant, & in virgineo putant ſe obſequio poſſe permanere, aberrant. Quibus aſſimilabimus homines generationis huius? Similes ſunt Philiſtæis, qui vnum genu flectebant coram Arca Domini, & alterum coram idolo ſuo Dagon. Quid enim aliud agunt illi, qui Mariam, Arcam fœderis Domini honorant, & ſimul peccato, idolo Satanæ obſequuntur? Dicamus illis idem, quod Elias: *Vſquequo claudicatis in duas partes?* Vſquequo dividitis infantem? Reddatur integer Matri ſuæ. Non poteſt dividi amor noſter, infans cordis noſtri, vt pars detur Mariæ, pars detur Veneri, aut Concupiſcentiæ noſtræ. Non poteſt in eodem cordis lectulo collocari amor Mariæ, & libido Concupiſcentiæ. Non ſe compatiuntur Chriſtus Filius Virginis, & cupido Filius Veneris. Audi Thom. Kempis: *Dilectio S. Mariæ expellit omnem æſtum carnalis concupiſcentiæ, & donat refrigerium caſtimoniæ. Dilectio S. Mariæ facit mundum contemnere & Chriſto humiliter ſervire. Dilectio S. Mariæ ab omni mala ſocietate conſeruat, & piæ converſationis puritatem informat. Dilige ergo S. Mariam, & percipies ſpiritualem gratiam invoca Mariam, & obtinebis victoriam.* Hæc pius cultor Virginis.

Ioan. [illegible]

[illegible] Reg. [illegible]

Serm. [illegible] ad Novit.

Amat conſcientiæ puritatem. Pſal. [illegible]

Amat itaque Maria puritatem conſcientiæ in ſervis ſuis & filijs, vultque vt ſervi ſint Chriſti ſui, duplici ſignati charactere fidei & gratiæ, vt poſſint dicere illi: *O Domine, ego ſervus, ego ſervus tuus*, & deinde adijcere. *Ego filius Ancillæ tuæ.* Nemo huius Ancillæ Domini filium ſe dicat, qui habet ſolum fidem, caretque ſignaculo gratiæ & charitatis; Nemo ſe eius filium dicat, qui ad eius ſimilitudinem, per gratiam, amorẽ, imitationem, non adſpirat, & vitam puram ducere non procurat. Quia autem hanc vitæ & conſcientiæ puritatem per nos aſſequi non poſſumus ſine auxilio cœleſti, ideo ad eam recurrimus, & dicimus: *vitam præſta puram.*

Nihil certe Chriſtiano debet eſſe magis cordi & cu-